Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 283

Quelle:
Copyright:

ego gislebertus altisiodorensis eccleſie diaconus. Gislebertus hic ſ. *Gilbertus* Scriptoribus *Hiſt. Lit. Franc.* T. IX. p. 90. *Aremorix*, *Oudino* T. II. *col.* 1014. et *Tannero* in *Bibl. Brit.* p. 318. *Anglus* ab eruditione dictus *Univerſalis* a Canonicatu *Altiſiod.* ad ſedem *Londinenſem* evocatus obiit intra ann. 1134 — 39. Commentarii noſtri Exempla *mſs.* plura offert *Oudinus*, eaque inter *Cantabrigienſe Collegii Caji et Gonelli*, quod eadem cum *Noſtro* ſubſcriptione gaudet, unde facile erraret, qui *Noſtrum* αὐτογράφον diceret. Incipit iſtud a loco *Origenis* et *Euſebii Pamph.* qui, quid huc pertineat, nondum video. *Origenes. Juſticiam accidentem quis habere poteſt unde et decidere eam poſſibile eſt. Phamphylus. Incuſatur origenes qui dei filium innatum dicit — et quod anime minorum animalium rationales ſint.* Abhinc: *paſchaſius. Sunt cantica cantycorum. ſunt et lamentationes lamentationum* &c. Itaque excerpitur *Paſchaſii Praefatio* primum, et dein ipſa Expoſitio, ſententias ſaltim delibando retenta tamen plerumque ejus phraſi, ut conferenti patebit. Locis *Paſchaſianis* nomen Autoris praefigitur candide, addito ſolum *hiſtorialiter*, *moraliter*, vel *allegorice*. Quae *Giſelbertus* de ſuo addit, pariter nomen ejus praeferunt, et mediocria ſunt, nec quae nomen *Univerſalis* tueantur. Quare juvenem fuiſſe oportet, dum in his occuparetur. Exemplo ſit primum, quod *Paſchaſio* interjicit, ſegmentum: *Lamentationes ieremie membro patet orationis maxime diſtingui. uel diſſoluto colorari. Res enim breuiter abſoluta ſine totius ſententie demonſtratione dicitur. quia alio orationis membro excipitur. ſicut hec eſt. plorans plorauit in nocte &c. Interdum uero diſſolute coniunctiones de medio afferuntur. partes ſeparate efferuntur hoc modo. Quo modo ſedet ſola ciuitas plena &c. Et more rethorico aliquando duobus membris aliquando tribus uel pluribus conſtat oratio.* Finit tota compilatio: *Ite maledicti in ignem eternum. et iam nec penitentie nec uenie locus erit.* In quae et *Paſchaſius* definit. Tria addo: Verſibus *Prophetae* ſingulis litera majuſcula exaratis expoſitionem ſuam ſubdi, et neminem Literatorum, quos conſului, prodere, in cujus vitula *Gislebertus* araverit; denique *Cod.* LXXXVI. aliam indicari *Threnorum* Expoſitionem, quae ad illum pertinere videtur, quamque marte proprio adultior factus elaboraverit.

CV. VI. F. 23.

Codex membraneus lat. Sec. 407
XIII. Folior. 143. 4. luculente ſcriptus, et rubricis enotatus eſt *Giſilberti*, *Gisleberti*, ſeu *Gilberti* e Diacono et Canonico Eccleſiae *Altiſiodorenſis* ad infulas *Londinenſes* Sec. XII. ſubvecti *Commentarius in Threnos Jeremiae Proph.* e PP. et maxime *Paſchaſii Ratberti* ſententiis concinnatus, qualem jam *Cod.* praeced. indicavimus.